Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 643
Quelle:
Copyright:

XXIV. *fol.* 75. p. 2. Loca duo ex *Auguſtini* Epiſtolis. 1) ex Ep. ad *Heſychium Salonit.* Edit. *Maur.* T. II. *n.* CXCIX. *col.* 747. *n.* 18—20. 2) ex Ep. ad *Hipponenſes ibid. n.* LXXVIII. *col.* 183. *n.* 3.

XXX. *fol.* 76. et deinceps in *f.* charactere ad *Chartae Ravennatis* ductus ſatis accedente ſequitur *M. Valerii Probi Grammatica* absque titulo incipiens: *Praefatio.*

Accipe noſtra tuis audacibus edita iuſſis
Caeleſtine potens &c.

ut apud ſaepe *cit. Putſchium col.* 1385. Pars, quae ibi inſcribitur *Liber* II. nobis titulum praefert: *De Catholicis Probi*, et finit: *De participio temporis praeteriti*, tumque per errorem ſubjicitur litera grandi: *Finit De Catholicis Proui. Ars Serui Gram. Explicit Feliciter.* Verba tamen *Serui Gram.* punctulis notata errorem animadverſum fuiſſe produnt. Et continuo *f.* 111. *p.* 2. ſuccedit *Caput*, quod apud *Putſchium* inſignitur *De Structura*, usque ad verba: *auditorem poſſumus delectare*, quibus charactere unciali ſubditur: *Feliciter Ars Probi Grammatici Urbis Explicit Catholica.* Neque tamen deſunt, quae *Putſchius* deinceps adtexuit de Pedum compoſitione, ſed fideliter usque ad extremum: *Ex triſyllabo et hisdem*, adſcribuntur. Quae adeo a poſteriore quodam Praeceptore addita fuiſſe *Probo* cenſeam. Ceterum vetuſtiſſimum fortaſſe *Probi* Exemplar me hic Lectoribus propoſuiſſe puto.

XXVI. *fol.* 112. Opus grammaticum II. *Libris* conſtans, ſed, quod non parum dolendum, ἀκέφαλον, Sec. ut videtur, VI. quemadmodum praecedens, exaratum, cujus Autor cum e I. tum e II. *Libri* clauſula conſtat. Ad I. enim ita habes: *M. Claudi Sacerdotis Artium Grammaticarum Feliciter;* ad II. vero: *M. Claudi Sacerdotis Artium Grammaticarum Liber Secundus Explicit Feliciter. Scriptori Vita Legenti Felicitas;* neque haec ſine ornatu. En igitur Grammaticum novum, Philologis ignotum, cujus nemo, quod ſciam, meminit, ſi *M. Aur. Caſſiodorum* demas ſcriptorem Sec. VI. qui in ſua *de Arte grammat. Inſtitutione* Edit. *Garet. Rotomag.* 1679. T. II. p. 560. f. aut *Putſchii cit. col.* 2323. ait: collecta eſſe Schemata ſeu Figuras numero 98. *a quodam Artigrapho nomine Sacerdote*, ſeque Arti ſuae adjunxiſſe Librum quartum *de Schematibus Sacerdotis*, quem etiam habes Edit. *cit.* p. 620. Unde aetas Noſtri aliquatenus conſtituitur, qui, an ad Gentis *Liciniae* Familiam *Sacerdotum* pertinuerit, an *Claudiorum* libertus fuerit, ignoro. Certe *Sacerdotes* in Hiſtoria *Rom.* apud *Ciceronem*, in Serie Conſulum, in Lapidibus non deſunt. Ejus porro Operis difficillimi lectu, cum prima inſuper *pagina* multum adtrita ſit, ſpecimen ex altera eſto: *De Verbo.*